

ad veritatem inveniendam et demonstrandam modo disponitur atque ordinatur.) Haec autem operatio tota nihil nisi tres, quas diximus, mentis operationes continet. Quia tamen methodus suas speciales difficultates ac regulas habet, quae seorsim considerandae sunt, logica in quattuor partes distribuitur, quarum prima est de perceptione, secunda de iudicio, tertia de ratiocinatione, et quarta de methodo.

PARS PRIMA

LOGICES.

DE PERCEPTIONE.

CAPVT I.

De idearum origine et natura.

Quid circa idearum originem et naturam censuerint philosophi veteres ac recentiores, exponemus primum; tum quid in hac materia certum nobis videatur, quid incertum, breuiter declarabimus.

I. Socrates et Plato Pythagoram secuti, in eum, feruntur, errorem incidisse, ut doce-

rent omnes hominum animas absque corpore fuisse à Deo productas, instar angelorum in mundo, ut vocant, intelligibili, easque peruerso libertatis suae usu in suum auctorem peccasse, ideoque in hanc vitam ablegatas, et in corpora magis minusve perfecta pro gravitate flagitiorum, tamquam in portatiles et fluctuantes quosdam cerceres, detrusas, suis tandem post certum tempus expiatis criminibus, ad coelum redituras. Praeterea adserebant, omnium rerum notionibus animas imbutas fuisse, quae quidem notiones, postmodum corporis contagione perturbatae et oblitteratae, ita languebant, ut inde nulla in mente cognitio oriri posset, nisi labore, studio, industria rerumque sensibilibus intuitu excitatae pristinas cognitiones in mente iterum producerent, quae proinde cognitio non scientia, sed potius *reminiscentia* dicenda foret. Vnde apud platonicos celebre effatum: *scire nostrum est reminisci.*

Pythagorici addebant, easdem animas e corporibus intereuntibus in alia recenter genita transmigrare. Hinc *metempsychoseos* opinio, vel potius opinionis monstrum, cuius non tam auctor fuit Pythagoras, quam propagator, utpote qui, teste Diodoro Siculo, commentum istud ab aegyptiis hauserat.

II. Epicurei, nihil omnino in hac rerum universitate praeter inane et atomos exstare, falso sibi persuadebant, nullam esse substan-

tiam spiritualem, omnemque cogitationem a materia profluere, ac simulacris quibusdam contineri seu imaginibus, quae e rerum superficie, ut aiebant, cadunt quasi spolia seu tenues exuviae, et in organa sensoria ac inde in mentem incurrunt.

III. (Aristotelici credunt, animam spiritualem esse, eam vero omni plane rerum cognitione a principio destitui, ita ut nullam in se rerum imaginem aut ideam impressam habeat, sed a corporeis sensibus omnes rerum imagines adquirat. Hinc celeberrima sunt apud aristotelicos effata illa: *Intellectum esse tabulam rasam: nihil esse in intellectu, quod prius non fuerit in sensu: numquam animam intelligere sine corporeo phantasmate.* Eandem sententiam tuetur Gassendus.) Igitur in hac opinione anima potest agere in corpus, et vicissim corpus in animam, ita ut per cogitationes producantur motus in corpore, et per corporis motus generentur in anima sensationes et ideae. Idearum genesis sic explicant. Ab obiectis externis emittuntur simulacra seu species materiales ipsis obiectis similes, quae ad organa sensoria delatae per nervos sensorios ad cerebrum deteruntur, et in phantasia depinguntur. Has species appellant *impressas*, quia ab obiectis imprimuntur sensibus et imaginationi; quatenus vero ab intellectu percipiuntur et fere exprimuntur, *expressas* vocant. Similiter intellectus dicitur *agens*, qua-

tenus ex specie sensibili et materiali elicit speciem intelligibilem ac spiritualem; vocatur autem *patiens*, quatenus speciem ipsam abstractam in se recipit.

IV. Cartesiani vellent intellectum nostrum esse potentiam mere passivam, quae non producat ipsa suas ideas, sed eas a Deo recipiat; ac proinde simplicem perceptionem non esse operationem, sed passionem mentis. Triplicis vero generis ideas distinguunt, *innatas*, *adventitias* et *factitias*. Innatas vocant ideas, quae menti nostrae statim ab ortu divinitus impressae sunt, quaeque nobis a primo vitae puncto ad extremum usque, quoties intendit animus, sine subsidio corporis et ante omnem experientiam ac ratiocinationem semper praesto sunt et percipiuntur. Tales esse dicunt ideas *Dei*, *entis generatim*, *essentiae*, *existentiae*, *unitatis*, *pulchritudinis*, *durationis*, *ordinis*, *cogitationis*, *extensionis* cet. (Adventitias dicunt illas, quae occasione motuum in organis corporeis factorum a Deo producuntur, seu creantur in anima vi legis inter corporeos motus et mentis cogitationes a Deo constitutae. Tales sunt sensationes *coloris*, *soni*, *odoris* cet. Factitias denique vocant ideas quae ex illis, quibus iam mens informata est, componuntur; ut dum aliquis ex idea montis et idea auri montem aureum sibi fingit. Ad quod quidem intellectus, utpote secundum cartesianos mere pas-

sivus, determinari debet, vel per actionem voluntatis, vel occasione motuum corporis.

De adventitiis, factitiisque ideis (*quocumque explicentur modo*) nulla potest esse dubitatio. Verum quod ad ideas innatas spectat, quaestionis status non satis clare exponi solet. Si hoc nomine intelligant ideas menti perpetuo praesentes; nulla potest esse controversia. Quis enim dixerit aliquam in nobis esse ideam, quam indesinenter contem-plemur? Si autem significare voluerint ideas, quae ante omnem experientiam omnemque ratiocinationem semper praesto sunt; nemo sane huiusmodi ideae meminit, de qua ante omnem experientiam omnemve ratiocinationem mens cogitaverit. (At si per ideas innatas intelligamus notiones illas, quae aliquando sine obiectorum externorum occasione, et facili atque expedito rationis usu adquiruntur, innatas in hoc tantum sensu ideae dicimus esse admittendas.) Et re quidem ipsa idearum innatarum vocabulo nullam aliam notionem subiici posse fatebuntur, qui gravissimam quaestionem hanc, non ex disputationis aestu aut definitionis ambiguitate, sed ex proprio conscientiae testimonio expendent.

V. Malebranchius mutationes, quae in ipsa anima fiunt, puta, gaudium, tristitiam sensationesque omnes luminis, coloris, soni cet. non vult a nobis distincte percipi per ideam, sed confuse tantum per conscientiam.

Nam ideae nomen tribuit tantum clarae ac distinctae repraesentationi earum rerum, quae extra nos sunt aut esse possunt. Deinde perceptionem ab idea distinguit, ita ut perceptio sit in mente nostra, seu adfectio mentis, quam *perceptionem formalem* vulgo dicunt; idea vero seu ipsa rei repraesentatio sit extra mentem in Deo ipso. Enim vero, inquit Malebranchius: *Omnino necesse est, ut Deus habeat in se ipso ideas rerum omnium, quas creavit; alioquin eas producere non potuisset, et proinde omnia videt seipsum contemplando. Est itaque in Deo aliquid repraesentans res omnes sive existentes, sive possibles, hunc v. g. mundum corporeum, in quo versamur, ac proinde extensio intelligibilis corporum archetypa in Deo reperitur exhibens varias extensiones, figuras intelligibiles, circulos v. g. intelligibiles, triangula, urbes, agros et omnia, ex quibus mundi huius universitas componitur. Quum igitur mentibus nostris Deus sit intime praesens, in ipso possumus intueri omnes rerum ideas, dummodo Deus mentibus nostris manifestare velit id, quod in ipso repraesentat res creatas aut possibles. Deus autem vult illas manifestare et revera manifestat nobis pro ratione desideriorum nostrorum, aut pro attentione nostra, quae quidem desideria et attentio sunt veluti oratio naturalis, qua certarum idearum ma-*

nifestatione obtenemus iuxta leges, quibus nos cum Deo iungimur. Leges enim illae sunt ut praesentes nobis fiant ideae, quas intueri per attentionem postulamus. Quapropter prout illa oratio est intensior aut remissior, ita maior minorve fit manifestatio idearum. Haec fere sunt ipsa verba Malebranchii hypothesim suam exponentis lib. de inquisitione veritatis, pag. 2. cap. praesertim 6.

VI. Tandem recentiores quidam philosophi (*leibnitiani*) novam hanc proposuere hypothesim. Mens ab iis ponitur, habere vim seu facultatem suas ideas ac perceptiones quascumque, etiam sensationes, producendi absque corpore, ita ut status, in quo mens se habet momento quocumque, sequatur illum statum, in quo fuit momento praecedenti, et hoc quidem secundum determinatas leges cum anima intelligente ac libera consentientes. Nam quum anima simplex sit, colligunt ii philosophi, nullam rem creatam in interiora eius agere posse, omnemque proinde animae mutationem a principio interno pendere. Ita vero secundum eosdem unamquamque animam creavit Deus, ut in ea certa sit series perceptionum, appetitionum, quarum aliquae distinctae sunt, plures confusae, et innumerae obscurae ac involutae, quae tamen gradatim evolvuntur et clarae ac distinctae fiunt. Corpus humanum in eadem hypothesi est machina a Deo ita comparata, ut per se et sine ulla animi

ope, secundum determinatas motuum leges ea omnia praestet, quae in corpore alicuius hominis observantur. Concipe nunc animam et corpus ita convenire inter se, ut huius motus cum perceptionibus et appetitionibus illius a Deo praevisis consentiant, et habeas horum philosophorum integram hypothesim de commercio mentis cum corpore. Porro animadvertendum est, ex his philosophorum hypothesibus nullam esse demonstratam; omnes vero multis difficultatibus et obscuritatibus laborare. Sed de his suo loco dicemus, nimirum in metaphysica. Heic vero ea tantum exponere satis sit, quae sine aliis principiis facile intelliguntur, quaeque lucem aliquam logicae adferre possunt. His explicatis sit.

CONCLUSIO.

(PLURES HABEMVS IDEAS PVRE INTELLECTVALES, QVARVM ALIQVAS FACILI RATIONIS VSV ADQVIRIMVS, AC PROINDE DANTVR IDEAE INNATAE SECVDVM PRAEMISSAM DEFINITIONEM.)

Prob. i. pars. In iis, quae ad animam pertinent, nulla tutior regula adhiberi debet, quam intimum conscientiae testimonium, atqui intimo conscientiae testimonio experimur, nos multa percipere per intellectionem puram

absque ulla imagine corporea; ergo plures habemus ideas pure intellectuales. Prob. min. Plures menti nostrae observantur ideae rerum, quae ab omni materia et sensibili qualitate prorsus secretae sunt, quales sunt ideae *adsensus* et *dissensus*, *instititiae*, *intelligentiae*, *Dei*. Et quidem adsensus et dissensus, iustitia, intelligentia, Deus, et alia similia idearum nostrarum obiecta nullam habent similitudinem cum rebus sensibilibus, nulla qualitate sensibili praedita sunt, nullaque proinde sensatione aut imaginatione repraesentari possunt.

Prob. 2. pars. Admitti debent ideae aliquae innatae, si aliquas ideas facili rationis usu prompte adquirimus: atqui ita se habent ideae aliquae; ergo aliquae in nobis dantur ideae innatae. Minor facile patet, si idearum aliquarum originem, earumque in mente nostra progressum consideremus. Cogitationem enim nostram sensu intimo novimus; levi autem attentione percipimus omnes nostros cogitandi modos, quid nempe sit apprehendere, quid iudicare, ratiocinari, ordinare, velle. Quid clarius vel tantisper attendenti esse potest quam principium illud: *cogito, ergo sum*? Considerans igitur creatura rationalis ea, quae sensu intimo in seipsa percipit, aliquam esse tam mirabilium effectuum causam intelligit. Postquam vero semel novit, existere ens aliquod supremum, a quo omnia

pendeant et regantur; huic tribuere debet in summo gradu perfectiones omnes, quas in se cognoscit; quumque scienciam, sapientiam, prudentiam, libertatem aliasque perfectiones in seipsa mens percipiat; harum perfectionum congeriem in gradu infinito sine ulla imperfectionis mixtura enti supremo innesse concludit. Porro de idea Dei per sensus adquisita heic sermonem non habemus, ideas enim pure intellectuales tantum consideramus. Iam vero postquam mens intellexit, existere ens supremum summeque perfectum, statim percipit, se ita factam esse, ut non casu, sed ratione ad agendum flecti debeat, atque hinc facile inferre potest certissimas actionum suarum regulas. Sic e. g. intelligit, se teneri obedire Deo, ordinem ab ipso constitutum servare, quae ad commune societatis bonum conducunt, quaerere. His vero intellectis regulis formatur conscientia, quae nihil aliud est quam rationis iudicium, quo admonemur de opere facto vel faciendo, rectum ne sit an pravum, hoc est, regulis consentaneum an illis dissentaneum.

Et quidem unusquisque in seipso experitur propensionem quandam ad verum et bonum. Intellectus non adsentitur nisi vero salutem apparenti; voluntas non amat aut expetit nisi bonum, aut quod boni speciem praeseferat. Est igitur menti nostrae impressus amor veri et boni, ac proinde quandam sum-

mi veri et summi boni notionem insitam, seu facili ratiocinatione adquisitam habemus. Praeterea in nullo bono creato mens nostra omnino conquiescit; ad perfectam felicitatem aliquid sibi deesse, interna quadam anxietate sentit, quae quidem sollicitudo demonstrat, nobis inditam esse propensionem ad supremam felicitatem, quae in solo Deo sita esse potest. Hinc concludit S. Augustinus lib. *de vera religione*: *Non diceremus aliud alio melius quam vere iudicamus, nisi esset impressa notio ipsius boni, secundum quam et probaremus aliquid, et aliud alteri praepone-remus. Deum ergo si quaeris, inquit in eodem libro S. Doctor, noli foras exire, in teipsum redi, in interiore homine habitat veritas; illuc ergo tende, unde ipsum lumen rationis accenditur.* Quod autem mens nostra a vero et bono saepissime aberret, hanc genuinam rationem reddit S. Augustin. *Haec est virtus verae divinitatis, ut creaturae rationali iam ratione utenti non omnino ac penitus abscondi possit: quae quidem verba omnino congruunt cum doctrina nostra.*

In sensu iam explicato innata etiam dici possunt principia speculativa, seu propositiones maxime universales, per se seu immediate vel intuitive evidentes, quae sunt veluti fundamentum omnis scientiae speculativae, qualis est ista propositio: *impossibile est idem simul esse et non esse.* Manifestum enim est,

principium illud ex nulla imagine corporea necessario pendere.

(Igitur ex dictis patet, duplicem esse originem seu fontem, unde mens sibi ideas comparat. Alius est sensatio, quae rerum sensibilibus ideas suppeditat; alius autem reflexio, quae animae suppeditat ideas abstractas, intelligibiles atque rerum spiritualium.) Praeterea reflexio rursus duplex est; vel enim difficiliorem ratiocinationem postulat, vel facilem dumtaxat rationis usum; ita ut homini recta ratione utenti res facile pateat, atque haec reflexionis facilitas satis est, ut ideas aliquas aliquo modo innatas dicamus. At si ideae innatae dicantur dumtaxat notiones illae, quae sine ulla attentione, sine ullo rationis usu nobis insunt; tales ideas existere omnino negamus.)

SOLVVNTVR. OBJECTIONES.

Obiect. 1. contra 1. conclusionis partem. Idem esto iudicium de ceteris ideis intellectualibus, ac de idea entis generatim; atqui idea entis generatim pendet ex sensibus, formatur enim per abstractionem a singularibus et individuis corporibus: ergo omnis idea pendet ex sensibus. Resp. dist. probationem min. Formatur per abstractionem a rebus corporeis et spiritualibus, C. min., per abstractionem a rebus corporeis tantum, N. min. et cons. Ens generatim dicimus id quod potest

existere. Hanc autem ideam non solum ex rerum corporearum consideratione deducere per abstractionem possumus; sed etiamsi nulla esse corpora fingeretur, hanc entis ideam formare possumus ex intima operationum mentis nostrae conscientia, sine ulla ad corpus relatione.

Inst. 1. *Nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu*, ut vulgare fert scholarum axioma; ergo ideae omnes, ac proinde et idea entis generatim pendent a sensibus. Resp. dist. ant. Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu externo, vel interno, C. ant., in sensu tantum externo, N. ant. Iam ostendimus, duplicem esse idearum originem, sensum externum, quo rerum corporearum ideas adquirimus, et sensum internum, quo per mentis attentionem ac reflexionem in proprias operationes, rerum spiritualium ideas comparamus.

Inst. 2. Atqui nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu externo: ergo nulla est solutio. Prob. subsumta. Illud prius fuit in sensu externo, quod a nobis non cognoscitur nisi per comparationem cum rebus corporeis; atqui res spirituales non cognoscimus, nisi per collationem cum rebus corporeis: v. g. Deum sub imagine venerandi senis nobis repraesentamus: ergo nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu externo. Resp. N. min. Verum quidem est, mentem

nostram rebus sensibilibus ita adsueram esse, ut etiam quum de rebus spiritualibus cogitat, corporeis imaginibus obruatur; nec sine summa cura et attentione ideas nostras ab omni prorsus labe corporea liberare et expurgare possimus. Hac de causa fortasse rudiores homines, qui numquam meditationibus vacarunt, nihil nisi cum imagine percipiunt. At illae imagines senis v. g. et iuuenis alati, quas multi ex puerili consuetudine sibi fingunt, quum de Deo et angelis cogitant, non sunt ipsae Dei et angelorum ideae, sed mera phantasmata, quae ideas illas commitantur. Et certe si nullam aliam Dei ideam haberemus praeter ideam venerabilis senis, omnia quae de Deo formamus iudicia, nobis apparere deberent prorsus falsa, utpote huic ideae contraria. Nam iudicia illa falsa esse credimus, quae contraria sunt ideis rerum, quas in mente habemus, ideoque non possemus iudicare, Deum esse partium expertem, incorporeum, invisibilem; siquidem haec omnia cum idea venerabilis senis nulla ratione convenire possunt.

Inst. 3. Apostolus *ad Rom. cap. 1.* scribit. *invisibilia Dei... per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*: ergo Deus non cognoscitur a nobis, nisi per comparationem cum rebus corporeis. Resp. hunc esse sensum textus Apostoli, *invisibilia Dei... per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*, quatenus

ex consideratione rerum creaturarum, tum corporearum, tum etiam spiritualium, recte concludimus, existere supremum omnium opificem; minime vero docet Apostolus, ideam Dei esse phantasma quoddam per collationem cum rebus corporeis formatum. Cavendum ergo est, ne, ut loquitur ibidem S. Paulus, *mutetur gloria incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.*

Inst. 4. Idea Dei formatur ex ideis perfectionum omnium creaturarum etiam corporearum: ergo idea Dei formatur per comparationem cum rebus corporeis tantum. Resp. dist. ant. Idea Dei formatur ex ideis perfectionum creaturarum etiam corporearum *eminenter* sumtarum, C. A., *formaliter* sumtarum, N. A. et cons. Itaque formatur a nobis idea Dei, dum ideae entis iungimus ideam abstractam omnis perfectionis in summo gradu, tribuendo Deo omnes sine limite perfectiones spirituales, quas in nobis limitatas percipimus, ut summam scientiam, sapientiam, potentiam, libertatem cet. et removendo ab eo omnes ideas materiae, motus, divisionis, coloris cet. quae *formaliter* sumtae includunt necessario quasdam imperfectiones, et enti summo convenire non possunt nisi *eminenter*. Quum ergo dicimus, ideam Dei ex omnibus creaturarum perfectionibus simul in summo gradu coniunctis coalescere; addimus omnium eorum, quae defectum aliquem secum important, negatio-

nem. Attributa corporea in idea Dei non includimus *formaliter* id est, prout sunt in corporibus, sed tantum *eminenter*, hoc est, aequivalenter, et modo quodam nobiliori ac sublimiori sine ulla imperfectione. Quum enim effectuum perfectiones in causa contineri necessum sit, quia *nemo dat, quod non habet*, ut vulgo dicitur, et quum Deus sit rerum omnium etiam corporearum causa; oportet, perfectiones omnes tum existentes in creaturis, tum possibles, in Deo contineri; sed modo spirituali et conveniente cum natura infinite perfecta.

Obiec. contra 2. conclusionis partem. Si alique essent ideae innatae, inter illas primura locum obtinerent ideae Dei et moralitatis actionum; sed istae innatae non sunt; ergo nulla est idea innata. Prob. min. Experientia testatur, homines nullam Dei et mortalitatis actionum ideam habere, nisi illam ab aliis hominibus, quibuscum vivunt, accipiant. Nam ex duobus exemplis, quae supra relata sunt, patet, hominem inter usos educatum, et alterum, qui surdus et mutus fuerat usque ad vicissimum quartum aetatis suae annum, nullam ideam Dei et moralitatis actionum habuisse, priusquam sermones cum aliis hominibus miscerent, et ab iis ideam illam reciperent. Praeterea viatorum fide accepimus, repertas fuisse integras nationes, quae omni idea Dei destituebantur; ergo nullae Dei

et moralitatis actionum ideae sunt innatae. Resp. N. min. cuius probationem explicamus. Adlata exempla valent dumtaxat aduersus eos, qui ante omnem attentionem ideas illas mentibus nostris praesto esse arbitrantur. At quum secundum nostram definitionem ideae innatae non sine aliquo, facili tamen rationis usu, adquirantur; tam crassae ac fere incredibilis ignorantiae causa haec adferri debet, quod nempe illi homines, quorum exemplum in obiectione narratur, mentis suae facultates neglexerint, et ad primarum veritatum investigationem non adhibuerint. Et quidem nimis probarent ea quae obiiciuntur exempla, nisi eo, quem diximus, modo intelligantur. Ex iis enim colligi posset, homines quoque in cultiori societate educatos, et ratione utentes facillimis quoque primarum veritatum principiis carere posse. Tristissima enim non desunt exempla improbissimorum hominum, qui humanae licet societatis commercio adiuti, vitiorum tamen et cupiditatum tenebris immersi, fulgentissimo rationis lumini oculos claudunt. Quod autem iuuenis inter ursos educatus nulla rationis signa dederit, non ita intelligi debet, quod ratiocinatione omni caruerit. In iis, quae ad sui ipsius conservationem pertinebant, sua utebatur ratione, et in nullo fortasse alio obiecto fuerat occupatus. Quod pristini status non meminisset, mirum non est: aliae enim notiones ad-

quisitae veteres ideas obliterare potuerunt, longo praesertim temporis intervallo, quod fuit omnino necessarium, ut propositis quaestionibus satisfacere posset. Probabilissimum autem est, in memoriam redituras fuisse pristinae habitationis ideas, si post aliquot dies in ipsam sylvam, cuius incola fuerat, translatus fuisset.

Sed haec breuiter dumtaxat attingere licet, ad metaphysicam enim atque ethicam proprio iure pertinent. Meminisse satis sit, idearum innatarum nomine nihil aliud a nobis intelligi, nisi primitivas ideas pure intellectuales facili rationis usu adquirendas, ex educatione et regionum varietate nequaquam pendentes, quod effutiunt impii aliqui religionis morumque corruptores. Ex his omnibus evidens est, quo sensu admitti possint ideae innatae, ita ut explicato quaestionis statu, ideas innatas negari vel adfirmari non repugnet. Hanc quaestionem de ideis innatis fuse tractavit Lokius. Neque aliquis sibi facile persuadeat novam atque inauditam esse hanc, quam tradidimus, idearum innatarum definitionem; quod quidem a viris in his rebus non admodum versatis dictum audivi. Nec quis credat hanc nostram definitionem convenire omnino cum sententia peripateticorum. Et quidam etiamsi nova foret definitio, quid inde incommodi dummodo res sit, vera? Verum haec ipsa definitio a multis explicata est,

et praesertim a Clerico; non, inquam, conuenit cum opinione peripateticorum, qui nullas admittebant ideas pure intellectuales, quas quidem nos admittimus.

CAPVT II.

De idearum sive notionum differentia.

I. Ideae sive notiones differre possunt vel ratione *formae*, seu modi quo mens illas percipit, vel ratione *materiae*, seu ipsius rei representatae. Differentiam idearum *formalem* eam dicimus, quae a modo cognoscendi desumitur; differentiam vero *materialem* illam appellamus, quae ab earumdem idearum materia, seu ab ipsa re representata ortum ducit. De gemina illarum differentia dicendum nobis est. Esto igitur

ARTICVLVS I.

De formali idearum differentia.

I. Notio, quam habemus de re aliqua, vel sufficit ad rem illam agnoscendum et ab aliis discernendam, vel non sufficit. Hinc nascitur idearum divisio in *claras* et *obscuras*. Claram dicimus ideam, quae menti notas exhi-

bet ad rem ipsam agnoscendam, atque ab aliis discernendam sufficientes. Nominamus vero obscuram, quae notas non sufficientes exhibet. Quare quum voces etiam exprimant ideas; illae poterunt esse clarae vel obscurae, pro ut claram vel obscuram ideam subiectam habent. E. g. voces istae *sol*, *homo*, *avis*, *leo*, *canis* cet. clarae sunt, quia et ipsae notiones, quas significant, clarae sunt. At si animal externum intuentes, dubitamus, num idem sit cum alio, quod olim vidimus; eius notionem habemus obscuram.

Ex his definitionibus patet, in ideis et vocibus obscuris varios esse posse obscuritatis gradus, pro ut ideae illae, vel voces quibus ideae exprimuntur, plures vel pauciores exhibent insufficientes notas. Quare notio clara, et vox ipsa qua exprimitur, obscurae fiunt, et quae iam obscurae erant, obscuriores evadunt, dum notarum quarumdam, quae nobis erant antea praesentes, obliviscimur. Et enim quum notio clara sit ob notarum, quas continet, sufficientem numerum; si aliquas dediscimus, ad rem agnoscendam atque ab aliis discernendam haud amplius sufficiunt pauciores, quarum recordamur, notae; ideoque notio, quae clara erat, obscura evadit, et quae erat obscura, redditur obscurior.

II. Notionis clarae notas duplici modo considerare possumus. Vel eas uno intuitu comprehendendo, vel singulas a se invicem di-